



UNIVERSITÄTS-
BIBLIOTHEK
PADERBORN

Universitätsbibliothek Paderborn

Examen Confessariorum Repetitum

Schoonaerts, Gregor

Coloniæ Agrippinæ

VD18 14542323-001

§. 3. An montes Pietatis & Lombardi sint usurarii?

urn:nbn:de:hbz:466:1-41226

§. 3. *An montes Pietatis, & Lombardi
sint usurarij?*

Mons Pietatis nihil aliud est, saltem in his locis, quàm cumulus pecuniarum, ad subventionem indigentium mediante mutuo destinatus. Alius est ex puris eleemosynis, alius ex pecuniis ad censum levatis, alius mixtus. Mons 1. generis cœpit Perusii in Italia an. 1450. sub his conditionibus, ut soli istius loci pauperes mutuum indè reciperent, & quidem in summa determinata, & ad determinatum tempus, dato priùs pignore, modicoque pretio pro ministrorum sustentatione assignato.

Montes Pietatis secundi generis erecti sunt in Belgio anno 1619. tempore Alberti Austriaci, & Isabellæ sub iisdem fermè conditionibus, quibus suprâ, nisi quòd posset quilibet indigens, sive dives, sive pauper, indè mutuum recipere, modò tamen non solùm pro Ministris, sed etiam pro censuum solutione, domûsque erectione, & reparatione aliquid tribueretur.

Montibus Pietatis ob civium penuriam non sufficientibus, adjecti sunt Principum auctoritate mutuatores publici, vulgò Lombardi, eò quòd modus ille mutuandi à Lombardis initium habuerit: hi autem vix differunt à montibus Pietatis secundi generis, nisi quòd aliquid ultra assignetur mutuatoribus ratione lucri cessantis. His positis

¶. 1. Montes Pietatis primi & secundi generis
non

non sunt usurarii, quia modicum, quod in illis recipitur ultrà sortem, non datur vi mutui, sed pro ministrorum sustentatione, qui non tenentur gratis laborare; unde montes illos sub Paulo II. Sixto IV. Innoc. VIII. & Alex. VI. erectos, confirmavit Leo X. in Conc. Lateran. tanquam pietatis & misericordiæ exercitia, propositis indulgentiis fidelibus, qui ad eorum erectionem suis eleemosynis concurrerent &c.

Quod ad secundos attinet, neque in illis aliquid exigitur ultrà sortem ratione mutui, sed ex justo titulo, nempe ad montium conservationem, administrationem, exonerationem. Præterea licitum est, & ab usura immune, in montibus primi generis aliquid exigere pro ministrorum labore, & sustentatione; quidni, & quando exigitur in montibus secundi generis aliquid pro censuum solutione? Accedit, quòd hi montes fuerint erecti ex consensu & consilio Archi-Episcoporum, Episcoporum, multorumque Belgii Theologorum, qui omnes, re attentè examinatâ, & in statera Domini libratâ, indicârunt non esse usurarios.

¶ 2. Etiam ab usura videntur immunes Lombardi, modò servant ad amissim Principum, aut Magistratum edicta, non excedant pretium taxatum, nec plus recipiant, quàm sit detrimentum, quod patiuntur ratione lucri verè & realiter cessantis.

CA-